Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31907
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

illa terre deuexitate transgressi illa se adtollunt residentibus que hic excelsa fuerant. Opponente se conuexo medio uisus globi terrarum. adeo ut septentriones que nobis assidue pendent. in quibusdam Indie locis quindecim tantum in anno diebus appareant.

De celo superiori. VII.

CELUM superioris circuli proprio discretum termino. et equalibus undique spaciis collocatum uirtutes continet angelicas. Que ad nos exeuntes. etherea sibi corpora sumunt. ut possint hominibus etiam in edendo similari. eademque ibi reuerse deponunt. Hoc deus aquis glacialibus temperauit. ne inferiora succenderet elementa. Dehinc inferius celum. non uniformi. sed multiplici motu solidauit. nuncupans eum firmamentum propter sustentationem superiorum aquarum.

De aquis celestibus. VIII.

AQUAS SUPER firmamentum positas celis quidem spiritalibus humiliores. sed tamen omni creatura corporali superiores. Quidam ad inundationem diluuii seruatas. alii uero rectius ad ignem syderum temperandum suspensas adfirmant.

De circulis mundi. VIIII.

QUINQUE circulis mundus diuiditur quorum distinctionibus quedam partes temperie sua incoluntur. quedam inmanitate frigoris. aut caloris inhabitabiles existunt. Primus est septentrionalis frigore inhabitabilis. cuius sydera nobis numquam occidunt. Secundus solsticialis a parte signiferi excelsissima nobis ad septentrionalem plagam uersus temperatus habitabilis. Tertius equinoctialis. medio ambitu signiferi incedens. torridus inhabitabilis. Quartus brumalis. a parte humillima signiferi ad austrinum polum uersus temperatus habitabilis. Quintus australis. circa uerticem austrinum qui terra tegitur frigore inhabitabilis. Tres autem medii celi inequalitates temporum distingunt. cum sol hunc solsticio. illum equinoctio. tertium bruma teneat. Extremi enim